JOHANNIS ERICI
AD
VIRUM
SUMME VENERABILEM ET ERUDITISSIMUM
FINNUM JOHANNÆUM
S. Th. Doct. & Diœces. Skalholt. in Islandia Episcopum

EPISTOLA
DE
CHRONOLOGIA GUNNLAUGS-SAGÆ
ad
Hist. Eccles. Island. Tom. IV. p. 358—68.
&
Vitam Gunnlaugi Ormstungæ not. 82. 101. & 111.

Accesserunt
GUNNARI PAULI. F.
Præpositi Dalensis & Pastoris Hiardarholtensis.
CURÆ POSTERIORES
IN
GUNNLAUGI VITAM
& maxime
IN
QUÆDAM CARMINA ANTIQUA
in eadem obvia.

HAFNIÆ, 1778.
Sumptibus GYLDENDALII.

Dono Illustr. Dn. Auctoris nactus sum aureū opusculum
G. P.



Qvamvis perqvam erudita, & incomparabili, qvæ in Te, *Vir Summe Venerabilis!* est, veteris nostræ chronologiæ & antiqvitatum scientia omnino digna sint, qvæ in *Appendice I.* ad absolutissimum *Historiæ Ecclesiasticæ Islandicæ* opus (*a*) in medium protulisti, contra *vulgarem*, ut vocas, *Epocham Plebiscitì*, seu verius *legis*, qva duella judiciaria apud Islandos abrogata sunt, eoqve ipso contra universam chronologiam *Torfæo-Magnæanam*, quam in annis rerum, qvæ *Gunnlaugi Ormstungæ* seu *Vermilinguis Vita* vel ab ipso gestas esse, vel ejus tempore accidisse, tradit, computandis & dirigendis secutus sum. Non tamen prorsus abs re esse duxi paucula adhuc hanc in rem submonere, nullo sane contendendi studio, nec ulla gloriolæ ex hac palæstra captandæ libidine, sed ea solum de causa, qvod obscuris hisce & haud parum perplexis de veteri chonotaxi disceptationibus aliquid saltem lucis affundi posse sperarem, si rationes, qvibus vel singula, vel certe præcipua chronologiæ, qvam in *Gunnlaugi Vermilinguis vita* probavi, capita vere nituntur, sed qvarum plurimæ, brevitatis studio, a me in ipso opere omissæ, paucissimæ contra indicatæ sunt, exoptata adeo occasione oblata, ulterius paulo declararem. Accedit quod mihi visus sim animadvertisse, hanc meam culpam in causa fuisse, quod etiam in eruditissimam hanc tuam commentationem nonnulla irrepserint, secus forte locum in ea non inventura; unde jure metui, eam facile aliis, rerum minus peritis, vel errandi, vel meam sententiam aliter, atqve revera est, accipiendi & interpretandi ansam præbere posse.

In limine notare juvat, me certe non capere, cur epocham legis de duellis abrogatis, qvam admisi, *vulgarem* appellas, partim, cum neminem omnino, præter *Torfæum* & *Magnæum*, in chronologia vitæ Gunnlaugianæ ordinanda præeuntem habuerim, partim, & maxime qvidem, cum ex mea de his annotatione (*b*) satis appareat, me illam

 epocham

(*a*) Tom. IV. p. 358. seqq. (*b*) Vid. Gunnl. Vitam, p. 158—159.

epocham ne ex eorum qvidem auctoritate adoptavisse, sed multo magis, calculis ultro citroqve ductis, ex universa hujus chronologiæ compage, cum relationibus aliorum historicorum, qvam potui diligentissime, collata, eruisse & constituisse. Sed jam ad rem ipsam.

Qvod Gunnlaugus, ut *Tu* (*c*) ponis, natus sit 985, mera conjectura est, eo solum nixa, qvod tum nasci potuerit, cum pater ejus Illugius Niger jam tum anno 981 matrimonium contraxerit. Nec me hoc latuit. Illugium enim ante annum 982. uxorem duxisse, etiam professus sum (*d*). Sed Gunnlaugi nativitatem ideo tam alte attollere integrum non judicavi; primò, qvia omnia suadebant, eum, ut Hermundo fratre aperte juniorem (*e*), ita unum ex liberis Illugii natu minimis fuisse; secundò, & præcipue quidem, quia talem nativitatis ejus epocham cum notis temporum ætatisqve Gunnlaugi, qvas *ipsa* ejus *Vita* Cap. V. & VI. conceptis verbis inculcat, quibusque totam suam chronotaxin manifeste superstuit, nullo modo consistere posse deprehendi. Si enim Gunnlaugus, ut hæc (*f*) sine omni ambiguitate tradit, & mox pluribus declarabo, tribus post legiferi officium à Skaptio susceptum annis, seu 1006, XVIII. annorum fuit, perspicuum visum est, eum ex ejus mente ante annum 988. natum statui non posse, nisi vis aperta ei inferretur.

Eis, qvæ Gunnlaugum ab anno 1000 ad 1003. egisse statuis, (*g*) ut immoremur, opus non est, cum ea omnia ex anno natali, qvi ei tribuitur, unice pendeant, & prout hic, vel ex *Tua* sententia attollitur, vel ex mea deprimitur, diverse cadant.

Progredior igitur ad ea, qvæ *Gunnlaugi Vita* Cap. V. narrat, & in his speciatim, qvod Helga ei certa conditione promissa fuerit, isqve eo facto ad exteros abierit. Hæc (*h*) ad annum 1003 ideo refers, qvia *Skaptius* dicitur legifer fuisse cum agerentur. Id vero, ut facerem, nexus & ordo, qvem autor hic noster in scribendo observavit, prohibere videbantur. Ut enim primis operis sui capitibus, qvæ maxima ex

(*c*) Hist. Eccl. Tom. IV. p. 358. not. a.
(*d*) Ad Gunnl. Vit. Not. 52. p. 74—75.
(*e*) Ibid. Not. 37. p. 44. 45.
(*f*) P. 64. & 84.
(*g*) Hist. Eccl. l. cit. p. 358—59.
(*h*) L. cit. T. IV. p. 359. not. a.

ex parte præliminaria ſunt, duarum perſonarum hujus hiſtoriæ principalium genus, nativitatem, educationem, corporis animiqve dotes, &c., & Helgæ quidem *Capp.* I. II. & III, Gunnlaugi vero Capite IV. deſcripſit, ipſamque hiſtoriam ab hoſpitio Gunnlaugi apud Thorſteinem Egilli, quippe quod primam ejus in Helgam amori originem dedit, enarrando exorſus eſt; ita Cap. V, poſtquam tertiæ perſonæ principalis, Rafnis ſcilicet, genus & ingenium delineavit, inceptum hiſtoriæ filum ulterius perducit, illud inprimis factum, qvod ex priore proximum emerſit, ſequentibus vero cum Hrafne ſimultatibus occaſionem ſubminiſtravit, nempe Gunnlaugi cum Helga ſponſalia, licet conditionalia, cum omnibus circumſtantiis plene admodum deſcribendo. Hic autem primo (*i*) diſtincte notat, Gunnlaugum primo, poſtquam à patre aufugit, anno Borgæ manſiſſe; deinde (*k*) expreſſe monet, Skaptium legiferi officium tum adiiſſe, quod anno 1003. factum eſſe conſentimus; & poſtea primum, nonnullis interjectis, addit (*l*) Gunnlaugum tres annos Gilsbackæ cum patre & Borgæ cum Thorſteine alternis vicibus egiſſe, horumqve ultimo (*m*), promiſſo de Helga accepto, peregre abiiſſe. Hinc prono alveo fluere cenſui, eam autori mentem eſſe non potuiſſe, ut Gunnlaugi ſponſalia & abitus, ad eundem annum, quo Skaptius legiferi officium ſuſcepit, ſcilicet 1003, referrentur, ſed multo magis, ut hic ipſe annus, eum, qvo Gunnlaugus Borgæ primum hoſpitabatur, deſignaret, atqve ideo, ut tres reliqui anni, qvos Borgæ & Gilsbackæ alterne egit, ei adderentur; quibus obſervatis, Gunnlaugi ſponſalia & abitus, non in annum 1003, ſed in annum 1006 incidunt.

Rationes generales, quæ me ad hoc induxerunt, notas nempe chronologicas, ab autore ipſo diſertis verbis poſitas, earumque ordinem, jam indicavi. Specialiorem univerſus narrationis, quæ huic hiſtoriæ propria eſt, contextus ſuppeditat, quatenus ex eo manifeſtum eſt, Gunnlaugi apud Thorſteinem hoſpitium & converſationem cum filia ejus Helga (*n*) illud eſſe temporis punctum, à qvo autor hujus ſuæ narrationis initium computat; qvibus ubi Cap. V. ſubjunxit, Skaptium

 legiferi

(*i*) Vide Gunnl. Vit. Cap. IV. pag. 48—49.
(*k*) Ibid. Cap. V. p. 62. 63.
(*l*) Ibid. p. 64—65.
(*m*) Ibid. p. 80—81.
(*n*) Ibid. Cap. IV.

legiferi officio tum admotum fuisse, hujus hospitii & conversationis terminum, ut ajunt, à quo, æstatem nempe, qua Skaptius legifer factus est, (æstivo enim tempore Gunnlaugum à patre aufugisse (*o*) satis apparet) constituere, atqve ita narrationem capitis IVti cum capite Vto connectere sine omni dubio voluit. Alternam vero Gunnlaugi Gilsbackæ & Borgæ per tres annos mansionem, eum ex suo sensu ad hunc temporis articulum retrotrahere non potuisse, sed separatim numerasse, inde facile patere ratus sum, qvod antea (*p*) retulisset, Gunnlaugum primum annum Borgæ permansisse. Unde concludi debere videbatur, eum ad patrem non rediisse, anteqvam hic, audito, quod omnium favorem sibi ibi conciliasset (*q*), spem de ejus moribus in melius mutandis conceperat, eaque delinitus eum in gratiam receperat. Qvæ de religione christiana in Islandiam introducta Cap. V. (*r*) interseruntur, ipse l. cit. satis declaravi ad annum 1003. referenda non esse; omisi vero addere, qvod tamen, ad omnem ambiguitatem hac in re vitandam, oppido necessarium erat, ipsum orationis hoc loco nexum, quatenus per ea aperte abrumpitur, argumento esse, quod ad originariam autoris scriptionem non pertineant, sed, quemadmodum plura alibi, à veteri aliqvo librario (nam etiam in antiquis exemplaribus exstant) adjecta sint, ut ista circa prima religionis christianæ in Islandia initia accidisse monstraret; unde vel tres prædictos annos ab his computare, vel reliquæ autoris chronologiæ statuminandæ fundamenta petere, tanto minus consultum visum est, cum ipse, ut supra indicavi, alia, & qvidem contraria, substraverit. Accedit qvod difficultas, quam ex statione Audunis Festargarmi in portu occidentalis Islandiæ Biarnarhöfn nasci necesse est, si Gunnlaugi cum eo abitus ad annum 1003. referatur, penitus evanescat, si annus 1006. ex nostro calculo substituatur. Hanc autem, licet ingeniose admodum & docte à *Te* (*s*) extricata sit, prorsus declinare satius est, cum altera, circa annum, qvo Audunus naufragio periit, ex mea sententia (*t*) facile solubilis, tum sola supersit. Et hæc de fundamentis, qvibus Vitæ Gunnlaugianæ chronologia, à me admissà, sustinetur, universe monuisse sufficiat.

Quæ

(*o*) Conf. ibid. Cap. IV. pag. 46—49.
(*p*) Ibid. p. 48—49.
(*q*) Ibid. p. 52—53.
(*r*) P. 64—65.
(*s*) T. IV. p. 359. not. b.
(*t*) Ad Gunnl. Vit. p. 68—69.

Quæ ad *ultimam Gunnlaugi in Anglia mansionem* pertinent à *Te* Vir celeb. (*u*) ad annos 1005. 1006 & 1007, à me vero ad annos 1008, 1009 & 1010. relata, conjunctim sumo, ea observatione præliminari adjecta: hanc trium annorum differentiam inde unice pendere, qvod rerum à Gunnlaugo gestarum chronologia, ut supra indicavi, à *Te* ab epocha religionis christianæ in Islandiam introductæ, s. ab anno 1000, à me vero à magistratu Skaptii, s. anno 1003, computata sit. Tantum autem abest meam hanc chronotaxin, vel hujus mansionis annis, vel *Gunnlaugi Vitæ* de ea relationi superstructam esse (*x*), ut illi potius ex prædictis, qvæ præstruxi, computandi fundamentis sponte emerserint, ubi acta, qvæ *Gunnlaugs-Saga* cuilibet vitæ ejus anno assignat, ad annos æræ christianæ retuli. Cum vero dubitari neqveat, qvin *Gunnlaugs-Sagæ* autor, ut plurimi Islandorum, Sveinis Daniæ Regis mortem ad annum Christi 1009. referre voluerit, nova etiam ratione elucet, eum suam computationem à Skaptii magistratu instituisse, cum primus mansionis Gunnlaugi in Anglia annus in eundem hunc annum 1009. incidat, ubi ab hoc magistratu calculus ducitur. Sed qvod is, ejusqve Scholiastes, ut alii Islandorum, in anno Sveinis emortuali erraverint, atqve ideo filio Canuto qvædam tribuerint, qvæ illi vere tribuenda erant, æqve ac *Tu* (*y*) dilucide, ut opinor declaravi. (*z*)

Cetera facile largior satis causæ Ethelredo anno 1006 esse potuisse, cur sibi à Danis metueret, & Gunnlaugo ideo, si tum in Anglia fuisset, commeatum in Islandiam denegaret (*a*), cum *Joh. Bromtonus*, *Ran. Higdenus*, *Rogerus de Hoveden* & plures Anglorum doceant Sveinem Regem, qvi anno 1004 vel 1005 Angliam reliqverat, exspectari tum potuisse cum novis copiis eo brevi rediturum. Qvod vero Ethelredus (*b*), etiam post Sveinis mortem, satis causæ habuerit, cur sibi & suis non minus à Canuto, qvam olim ab illo, timeret, facile apparet. Ignorare enim neqvaqvam potuit, qvod Canutus 1., nec ætatis adeo immaturæ, nec rei militaris adeo inexpertus esset, ac hypothesis Islandica svadet; qvodqve 2) expeditionem in Angliam molire-

retur,

(*u*) H. E. T. IV. p. 359. not. c. p. 360. not. a. b.
(*x*) Qvod l. cit. p. 360. not. a. sentis.
(*y*) L. cit. p. 360. not. a.
(*z*) Ad Gunnl. Vitam not. 82. pag. 120—21.
(*a*) H. E. T. IV. p. 359. not. c.
(*b*) De qvo loc. cit. p. 360 not. a. dubitas.

retur, non universo tantum Daniæ robore stipatus, sed Svecicis etiam Norvegicisque auxiliis firmatus. Hunc autem metum, ex Canuti expeditione conceptum, qvi ad annum 1014 re vera pertinet, *Gunnlaugs-Sagæ* autorem ad annum 1009 perperam retraxisse, data opera annotavi (*c*); jamqve, *Te* (*d*) præeunte, addo, eum etiam errasse, dum commeatum ex Anglia Gunnlaugo anno 1009 ideo denegatum esse refert. Contra objectio (*e*), qvod Ethelredus vere anni 1009 ideo causari non potuerit, Canutum venturum esse, cum pater ejus Sveinn Rex secundum *Olai Crassi Vitam* usqve in autumnum ejusdem anni vixerit, solam *Olai Vitam* ferit, qvatenus Sveinis mortem, loco Februarii, in autumnum perperam retulit, non vero *Gunnlaugs-Sagæ* autorem, qvi tempus anni, qvo Sveinn mortuus est, non memoravit, imo verum forte scivit, qvamvis annum ipsum vitiose posuerit; talia enim veteribus haud raro usu veniunt. Nec magis chronologiam *autoris Gunnlaugs-Sagæ* infringere valent *Knytlinga-Sagæ* & *Olafs-Sagæ* calculi, ex qvibus Ethelredus annos 1008 & 1009 exul in Flandria egit, cum ex *Simone Dunelmensi*, *Radulfo de Diceto*, *Ranulfo Higdeno*, *Henr. Huntindoniensi*, *Rogero de Hoveden* & pluribus Anglorum historicis manifestum sit, eum his duobus annis, ut & anno 1010 adhuc in Anglia fuisse, qvem etiam admodum *Henricus de Knyghton*, *Joh. Wallingford*, *Huntindoniensis*, *Hovedenus* & alii docent, eum in Flandriam, vel verius Normanniam, non profugisse, priusqvam anno 1013, cum Danorum in Anglia potentia adeo invaluerat, ut sibi non videret in hoc regno amplius tutum esse. Unde facile apparet, *Gunnlaugs-Sagæ*, & speciatim mansionis Gunnlaugi in Anglia chronotaxin, universim spectatam, & cum Ethelredi actis collatam, *Olafs-Sagæ* & *Knytlinga-Sagæ* calculis veriorem esse, præsidiumqve prorsus invictum in historia Anglica vere invenire. Neqve hoc solum. Verum *Johannes Bromtonus*, *Henr. Huntindoniensis*, *Ran. Higdenus*, *Simeon Dunelmensis*, & *Rogerus de Hoveden* non tantum consentiunt, bellum in Anglia à Danis anno 1009 magna contentione redintegratum, & anno 1010 continuatum esse, sed *Higdenus*, *Dunelmensis*, & *Hovedenus* præterea nominatim memorant Thorkillum Ducem anno 1009 cum exercitu

(*c*) Ad Gunnl. Vitam p. 121.
(*d*) T. IV. p. 360. not. a.
(*e*) Ibid.

citu in Angliam venisse, duoqve ultimi insuper addunt, Danicos Duces Hemingum & Eilafum cum pluribus copiis mense Augusto ejusdem anni mox accessisse. Cumqve Ethelredus his ipsis annis, dum Gunnlaugum secum habuit, contra Danos movisse videatur, veri omnino simile est, hunc, utpote aulicum & satellitem, ejus signa secutum esse, qvamvis ejus *Vitæ* autor, rerum Anglicarum minus, qvam par erat, gnarus, id non memoraverit. Planum vero, Ethelredum æstate anni 1009 vere dicere potuisse, gravissimi belli metum Angliæ tunc imminere, atqve ideo Gunnlaugo commeatum denegasse, cum Thorkillus, novis copiis Danicis stipatus, jam tum venisset, Hemingus vero & Eilafus exspectarentur; idqve Scholiastes autoris observatione de Hemingo adjecta sine dubio indicare voluit. Hunc igitur metum ut veram commeatus denegati causam *Tecum* (*f*) qvidem lubens amplector. Verum cum hic, secundum scriptorum Anglicorum computum, non ad annum 1007, sed ad 1009 pertineat, chronologia autoris etiam hac in parte consensu eorum firmiter sustinetur; ita ut nihil in ea reliqvum sit, qvod jure ut falsum agnosci possit, nisi qvod Sveinis Regis mortem ad annum 1009 retulit, metumqve à Canuto pro causa commeatus Gunnlaugo denegati venditat, qvorum tamen utrumqve, ut supra monui, chronologiæ compagem ne minimum qvidem turbat, sed ea prorsus salva rejici potest.

Ita ad *conflictum Gunnlaugi cum Rafne* in comitiis Islandiæ universalibus, &, qvod caput rei est, ad *epocham legis de duellis judiciariis abrogandis* pervenimus. Hæc ex *Tua* computatione (*g*) ad annum christi 1008, ex mea vero (*h*) ad annum 1011 pertinent. Qvod autem ad argumenta attinet, qvibus utraqve hæc computatio nititur, monere sat esto:

1) Me prædicta comitia ideo cum comitiis post Niali incendium proximis minime confundere, cum hæc ad annum 1012 retulerim, atqve ita illis, ut *Gunnlaugs-Saga* postulat, postposuerim.

2) Qvod freqventiæ comitiorum Gunnlaugo-Rafnianorum causa in eorum historia & gestis qværenda non sit, *Tecum* (*i*) facile agnosco; nec nego comitia anni 1008 reliqvis freqventiora esse potuisse, ob

(*f*) Ibid.
(*h*) Ad Gunnl. Vit. p. 150—159.
(*g*) H. E. T. IV. p. 361. & not. a.
(*i*) Loc. cit.

ob factiones optimatum ex cæde Viga-Styris natas. Hæc vero freqventia argumento esse neqvaqvam potest hæc comitia eadem fuisse, in qvibus Gunnlaugus cum Rafne conflixit, & lex de duellis judiciariis abrogandis lata est. Nec Comitiis anni 1011, ad qvem utrumqve refero, similis vel etiam majoris freqventiæ ratio defuit, cum in eis de viri nobilissimi & omnibus acceptissimi, Hoskuldi nempe Hvitanesensium Pontificis, cæde ageretur. In hac enim causa ex uno latere Flosius & Sigfusidæ, ex altero vero Niall cum filiis, potentissimum qvemvis optimatum suas in partes traxerunt; & illi qvidem Hallum de Sida, Skaptium Thoroddi legiferum, & plures; hi vero, Asgrimum Ellidagrimi, Gisserum Album, Hialtium Skeggii, Gudmundum Opulentum & Einarum fratres, nec non Snorrium Pontificem, qvos omnes & plures adhuc *Nials-Saga* (*k*) operose enarrat in his comitiis adfuisse magna manu stipatos.

3) Qvod *Eyrbyggia-Saga* Gunnlaugum qvendam Ormstungam inter eos optimates numeret, qvi Snorrium Pontificem anno, ex *Tuo* calculo, 1008 à transitu Albis Borgfiördensis prohibuerunt, me minime latuit, cum eandem historiam (*l*) ipse retulerim. Ideo vero induci non potui, ut nostrum intelligerem. Hunc enim, utpote juvenem, in familia paterna, adeoqve sub potestate patria adhuc constitutum, & nondum sui juris factum, inter principes territorii, ætate pariter ac auctoritate pollentes, collocari, patre præsertim vivo ac præsente, incongruum, & à moribus veterum alienum, atqve ideo scriptore satis accurato, qvalis *Eyrbyggia-Sagæ* autor est, indignum, visum est. Hinc oportere censui alium qvendam intelligi, eodem cum Gunnlaugo nostro, ut olim sæpius usu venit, nomine & cognomine gaudentem; isqve se ultro obtulit, Gunnlaugus nempe Ormstunga, avus Illugii maternus, nostri vero Gunnlaugi proavus. Nec temporum ratio obstitit. Si enim computemus Gunnlaugum hunc seniorem anno 920 natum esse, & 20 annorum fuisse, cum filia ejus Thorida Dylla nata est, 40 vero cum ea Illugium Nigrum peperit, tandemqve 60, cum Illugius matrimonium contraxit, (qvæ temporum intervalla plus satis sufficiunt), anno 1008 annum ætatis 88 supergressus non erat; qva ætate eum valetudine & viribus tam firmis esse potuisse,

(*k*) Cap. 113—124. p. 172—191.

(*l*) Ad Gunnl. Vit. not. 8. p. 9.

potuiſſe, ut exercitui non ita longe a villa ſua (Gunnlaugsſtadis enim ad meridiem Thveräæ, ſecundum *Libr. Origg. Islandiæ* (*m*) habitavit) collecto, ſi non confligendi, attamen conſulendi cauſa, intereſſe potuerit, ſimilia permultorum, non antiqvi ſolum, ſed recentioris etiam, & in his nonnullorum noſtri ævi grandævorum exempla facile ſvadent. Ulterius adhuc idem confirmant ſynchroniſmi in *Libro Origg. Islandiæ* (*n*) indicati, & à me ex parte ad calcem *Gunnlaugs-Sagæ* (*o*) in Tabulam genealogicam redacti. Ex his enim Gunnlaugus hicce Ormstunga ſenior, ſecundum generationum numerum ab Illugio Nigro ſurſum computatum, Hroſkeli ſynchronus evadit. Hroſkell, ſecundum *librum Originum* (*p*), Arinbiörni Duci juniori, Thoreris filio, coævus erat, utpote ex matertera Arinbiörnis natus. Atqvi Egilli Skallagrimi filio, eidem Arinbiörni etiam coævo, qvi diu ante annum 920 natus, ad finem fere ſeculi ætatem produxit, eas ad extremum uſqve vitæ fuiſſe corporis vires, ut militiæ & armis, ſi oculi non caligaſſent, vacare poſſet, *Egils-Saga* edocet. Unde certe nihil abſurdi vel inauditi emerſurum prævidere potui, ſi idem de prædicto Gunnlaugo admitteretur. His argumentis ductus ab initio dubitavi, & adhuc vehementer dubito, confidenter pronunciari poſſe, Gunnlaugum noſtrum juniorem Illugii filium anno Chriſti 1008 non in Svecia, nec in Anglia, ſed in Islandia fuiſſe. Primo enim prædictum *Eyrbyggia-Sagæ* teſtimonium vel ideo hac in re omni exceptione majus habendum non videtur, cum tam de proavo ejus, ut nuper indicavi, qvam de alio qvodam ejuſdem nominis & cognominis, licet aliis noſtratium hiſtoriis ignoto, intelligi poſſit. Deinde neqvaqvam probabile eſt, autorem *Vitæ Gunnlaugi noſtri* ignorare id potuiſſe, ſi hic controverſiæ adeo celebris & vulgo olim notæ, qvalis illa de cæde *Viga-Styris* erat, partem feciſſet, cum res etiam minimas, certe hac controverſia longe minores, qvæ ad eum pertinent, tam diligenter conqviſiverit. Unde ejus de re adeo memorabili ſilentium haud exigui ponderis eſſe viſum eſt, & adhuc videtur.

Qvod verius putas (*q*) *duella judiciaria ſucceſſive, qvam ſemel & ſimul* abrogata eſſe, haud parum miror. *Gunnlaugs-Sagæ* enim hac de

(*m*) Ed. Havn. p. 56.
(*n*) Ed. Havn. p. 53.
(*o*) P. 313.
(*p*) Loc. cit.
(*q*) H. E. T. IV. p. 362—63.

de re narratio non tantum *Vallnaliots-Sagæ*, qvæ hanc abrogationem simul & semel factam esse innuit, consensu satis firmatur, sed etiam per singula, qvæ in historia Islandiæ occurrunt, duellorum hujus generis exempla eundo, atqve ita per inductionem, ut ajunt, plene stabilitur. Qvæ horum *Kormaks-Saga* & *Hallfredar-Saga* (*r*) memorant, in confesso est duello Gunnlaugi cum Rafne antiqviora esse, cum illarum hac de re narrationes ad hujus tempora, seu ad annum 1011, non descendant. *Niáls-Saga* vero eo majus hac in re momentum vere trahit, cum ante hunc annum crebra satis in ea sit duellorum judiciariorum mentio, postea contra nulla. Accedunt aliæ rerum priori seculi XI parte, post prædictum Gunnlaugi duellum, in Islandia gestarum historiæ, qvarum bene multas habemus, in qvibus altissimum est de his duellis silentium, qvod vix evenire potuisset, si hæc ibi tum temporis adhuc in usu fuissent. Et qvod ad *Liósvetninga-Sagam* attinet, qvæ sola inter omnes talium hoc tempore duellorum mentionem injicit, singula ejus hac de re testimonia, in notis ad prædictum *Gunnlaugs-Sagæ* locum (*s*), ita mihi excussisse videor, ut nullus dubitem, argumenta, qvæ inde contra meam sententiam desumuntur, ex ipsa circumstantiarum, qvas continent, ratione, si modo hæc rite explicetur, satis dilui posse. Imo, tantum abest prædictam *Liósvetninga-Sagam* huic sententiæ adversari, ut eam ipsam potius qvam maxime confirmet, conceptis verbis & data opera declarando, tam utrumqve illud duellum, qvod, post istud Gunnlaugi cum Rafne, oblatum esse memorat, omni juris specie destitutum, qvam universim, duella judiciaria tunc temporis apud Islandos non solum legibus abrogata fuisse, sed etiam ab usu fori penitus recessisse. Non ergo *pro certo* haberi debere videtur, talia duella, post istud Gunnlaugi cum Rafne, in ipso dicasterio generali *sæpius* & oblata & acceptata fuisse, cum non nisi unicum talis rei exemplum, (nempe Thoreris Helgii filii & Gudmundi opulenti in *Liósvetninga-Saga* (*t*)), prostet, & qvidem ejusmodi, qvod omnes cordati legibus adversum statim pronunciarunt, qvodqve ideo etiam omni effectu caruit. Nec verisimile est, duellorum judiciariorum cacoëthes animis veterum, etiam post christiana sacra intro-

(*r*) Vide Olafs-S. Trygg. S. ed. Skalholt P. II. p. 305—306.
(*s*) P. 156—158. (*t*) Cap. XVII.

introducta, adeo infixum fuisse, ut repetita hujus legis iteratione opus esset, partim cum notissimum sit, talia duella, ob multiplicem abusum, ethnicis jamtum haud parum exosa fuisse, partim, & maxime qvidem, cum *Te* etiam (*u*) fatente, nullum id genus duelli apud Islandos commissi exemplum in universa seculi XImi historia, post istud Gunnlaugi cum Rafne, occurrat. Omnium tamen minime ex Hrolfi & Eyulfi Gudmundi filii exemplo, *Liósvetninga-Sagæ* (*x*) memorato, concludi potest, hujus moris reliqvias usqve ad Isleifi episcopi tempora perduravisse, cum duellum, de qvo ibi sermo est, non ad duella juris civilis, de qvibus hic agitur, sed ad modos bella componendi, qvi juris gentium sunt, pertineat. Sed nolo in re clara, jamqve ut spero satis exposita, diutius hærere. Tantummodo moneo, Gretteris in ordalio subeundo facilitatem, qvam loc. cit. (*y*) memoras, argumento vix esse posse, hunc probandi modum tunc temporis in Islandia notum fuisse. Qvamvis enim athleta esset duri admodum & militaris ingenii, facile tamen, utpote vir cetera prudens, prævidere potuit, necesse sibi fore, ut in Norvegiam delatus, & criminis nefandi ibi accusatus, hujus probationis, ab Olao Rege in leges Norvegorum nuper relatæ, periculum subiret; inprimis cum objectum crimen purgare impense averet, & inter ejus aulicos recipi ambiret; eum vero non mediocriter severum, & omnis contradictionis impatientem esse, ab indigenis sine dubio audiverat.

De eis, qvæ porro circa *epocham Comitiorum, qvæ incendium Niálianum proxime secuta sunt*, mones (*z*), facile spero inter nos conveniet, ubi primo ipsam super his *Niáls-Sagæ* chronologiam, & deinde reformationem ejus vel emendationem, à *Te*, Vir S. V., tentatam, & deniqve argumenta, qvæ huic occasionem dederunt, distincte examinaverimus.

Ad primum qvod attinet, ipse (*a*) concedis, qvindecim Flosii, incendii auctoris, socios, prælio Brianico in Hibernia interfuisse vere anni 1014; hoc autem *Niáls-Saga* (*b*) perspicue docet commissum fuisse proximo vere postqvam Flosius cum eis Islandia profectus est; Unde hæc

 Flosii

(*u*) H. E. T. IV. p. 362. (*x*) Cap. XXIX. (*y*) P. 363.
(*z*) H. E. T. IV. p. 363—64. (*a*) L. c. p. 363.
(*b*) Edit. Havn. capp. 154 & 155. p. 267 & 268. cum cap. 158. p. 274. collatis.

Flosii profectio ad æstatem anni 1013 necessario referenda est. Jam *Niáls-Saga* (c) ulterius monstrat, autumnum anni 1013, à Comitiis post incendium proximis, secundum fuisse, dum dilucide declarat (d), Flosium integrum annum post hæc Comitia domi ex pacto permansisse, ejusqve anni hieme, vel, accuratius loqvendo, initio anni 1013, Hallo de Sida conciliante, cum Thorgeire Skorargeire in gratiam rediisse. Hæc ergo Comitia, ut in notis ad *Gunnlaugi vitam* (e) jam dudum computavi, (qvæ etiam omnia ipse concedis (f), in æstatem anni 1012, ipsumqve incendium in annum 1011, incidant necesse est, cum in confesso sit, ea non eodem, qvo incendium perpetratum est, sed seqventi demum anno celebrata fuisse (g).

Talis *Niáls-Sagæ* computus est. Qvod autem ad ejus reformationem vel emendationem a *Te* Vir S. V. propositam, qvod secundum erat, attinet, concedi qvidem debet, qvod vulgaris chronologia, ut & *Annales*, & in his *Skalholtenses vetustiores*, *Reseniani*, *Holenses recentiores*, nec non *Regii* apud *Langebekium* (h) incendium Niálianum ad annum 1010, adeoque Comitia post id proxima ad annum 1011, referre soleant (*Skalholtenses* enim *recentiores* qvi 1009, & *Flateyenses*, qvi 1001 præferunt, in censum non veniunt). Sed eorum auctoritas neqvaqvam tanti est, ut *Niáls-Sagæ* calculo derogare valeat, qvippe qvæ integram hujus incendii historiam data opera pertractat, & cujuslibet anni acta accurate distinguit, cum contra *Annales* levem tantum incendii mentionem faciant. Et si secundum istam vulgi & *Annalium* computationem unus annus initio exilii Flosii addatur, ejusqve peregrinatio ad annum 1012 retrahatur, non solum gratis prorsus, & sine omni veterum auctoritate assumendum est, Flosium, postqvam Islandiam reliqvit, aut in Hialtlandia aut Færeyis, aut alibi terrarum, unam hiemem egisse, anteqvam ad Orcades delatus est, sed *Niáls-Sagæ* etiam narrationi vis aperte

(c) Ibid. Cap. 147. p. 254. cum Cap. 154. p. 267. collato.
(d) Cap. 146. p. 251. collato cum Cap. 147 & 148. p. 254 & 256.
(e) P. 159.
(f) H. E. T. IV. p. 364.
(g) Confr. interim *Niáls-Saga* Cap. 127. usqve ad C. 135.
(h) Script. rer. Dan. Tom. III. p. 38.

aperte inferenda. Hæc enim dum conceptis verbis inculcat, tam (*i*) qvod primam poſt ſæpe dicta Comitia hiemem non extra, ſed intra Islandiam manſerit, qvam (*k*) qvod ejuſdem anni autumno, qvo inde ſolvit, in Orcades venerit, talem ejus in Hialtlandia, Færeyis, aut alibi terrarum extra Islandiam hiemationem ſine omni verborum anfractu negat. Unde prius hocce prædictæ emendationis inſtituendæ remedium, *Te* etiam (*l*) conſentiente, ſecure rejici poteſt.

Poſterius in eo ſitum eſt, qvod *Niáls-Saga* (*m*) refert, Floſium æſtate anni 1014 ex Hebudis, per Gallias, Romam tetendiſſe, indeqve iterum, per ſuperiora Italiæ, Germaniam, & Daniam tam cito rediiſſe, ut hiemem anni 1015 apud Ericum comitem in Norvegia agere, ejuſdemqve anni æſtate Islandiam repetere poſſet. *Tu* autem (*n*) tam feſtinum iter locum hic non habere, ſed unum annum ad finem exilii addi debere ſentis, ita ut integrum annum, cum alterius parte vel dimidio., huic itineri inſumſerit; atqve ita in Norvegiam priusqvam ſub autumnum anni 1015, tandemqve in Islandiam, priusqvam æſtate anni 1016, non redierit.

Ad argumenta, qvæ *Te* in hanc ſententiam traxerunt, (qvod tertium hujus noſtræ diſceptationis momentum eſt) & primo qvidem: qvod Floſius pedibus tantum hoc iter emenſus ſit: ſecundo, qvod Româ rediens, variis in urbibus commoratus fuerit, viros-qve principes convenerit: & tertio deniqve: qvod ſecus vere dici non poſſit, pactum de triennali exilio, à ſe initum, impleviſſe; varia reponi poſſunt, & ſpeciatim.

1. Si vel maxime his *Niáls-Sagæ* verbis (*o*): Floſi hóf vpp Svdrgavngy ſína ok gekk ſvdr, i.e. *Floſius ambulationem ſuam auſtralem incepit, & auſtrum verſus ambulavit:* preſſe adeo inhærere libeat, ut admittamus, eum pedibus tantum, per Gallias, Romam iter-

(*i*) Cap. 147. pag. 254.
(*k*) Cap. 154. pag. 267
(*l*) P. 364.
(*m*) Cap. 159. pag. 281.
(*n*) L. cit. p. 364.
(*o*) Loco a *Te* cit.

iter feciſſe, etiamſi id omni dubio haudqvaqvam careat, non tamen ideo opus eſſe videtur, ut longum admodum tempus huic itineri tribuamus, cum iter pedeſtre Svinafellum inter & Vapnafiördum Islandiæ, in *Niáls-Saga* (*p*) deſcriptum, qvod auxilia petiturus, media hieme exorſus eſt, & aliqvot ſeptimanis confecit, documento eſſe poſſit, eum pedibus plurimum valuiſſe.

2. Eodem jure, qvo credi poteſt, eum Romam ambulaſſe, eodem etiam *Niáls-Sagæ* de reditu ejus verba (*q*): fór aptr: i. e. *reverſus eſt:* qvippe qvæ profectionem qvamlibet notant, ad amuſſim ſeqvi, atqve ideo admittere debemus, eum in reditu jam eqvis, jam vehiculis aliâve vectura uſum eſſe; idqve eo magis, qvod omnis illa pedeſtris itineris neceſſitas, qvam pœnitentiæ ratio ei forte ante impoſuit, abſolutione impetrata penitus ceſſaverat. Accedunt luculenta *Niáls-Sagæ* teſtimonia, tam (*r*) qvod à Gillio Hebudarum Comite magna argenti vi ad hoc iter inſtructus fuerit, qvam (*s*) qvod Romæ haud parum pecuniæ expenderit, ut abſolutionem ab ipſo Pontifice obtineret; qvæ ſatis indicant, pecuniam, qvâ ad vecturam conducendam opus erat, ei non defuiſſe.

3. Iter, qvod Floſio hic ultro citroqve faciendum erat, longius vere non fuit, qvam ut etiam autumno anni 1014, etſi adulto, in Norvegiam redire poſſet. Verum cum *Niáls-Saga* id diſerte non memoret, ſed tantum indefinite (*t*), qvod *ſeqventem hiemem*, vel accuratius loqvendo, *bujus hiemis partem* („um vetrinn eptir") in Norvegia egerit, ipſa hæc narratio eo haud obſcure inducit, ut ſtatuamus, eum eo non veniſſe, priusqvam aliqvanto tempore poſt feſtum Jolenſe, vel initium anni 1015. Ita plus integro ſemeſtri ad iter lucratur; idqve plus ſatis ſufficere videtur, ſi mora, qvam variis in urbibus nectebat, ut ſine dubio debet, eo modo intelligatur, qvo multorum etiam hodie peregrinantium, qvi res terrarum vel urbium præcipuarum, qvas permeant, maxime memorabiles in tranſitu perluſtrare, earumqve

princi-

(*p*) Cap. 135. p. 213—215.
(*q*) P. 281.
(*r*) Cap. 158. pag. 280.
(*s*) Cap. 159. pag. 281.
(*t*) P. 281.

principibus, benevolentiæ & honoris captandi gratia, ſiſtere ſe ſolent, qvod itinera multum non retardat.

4. Dum, *Nialsſaga* præeunte, Floſium æſtate anni 1013. Islandia profectum eſſe, æſtate vero vel autumno anni 1015. rediiſſe ſtatuo, ſimul qvidem mihi fatendum eſt, qvod plenos tres annos non abfuerit. Cum autem nihilominus perſpicuum ſit, qvod partem tam æſtatis qvam hiemis anni 1013., integram hiemem æqve ac æſtatem anni 1014., & deniqve non hiemis tantum ſed etiam æſtatis anni 1015. maximam partem peregre egerit, more loqvendi veteribus Islandis æqve ac reliqvis ſeptentrionalibus uſitatiſſimo, (qvippe qvi in annis ætatis humanæ, rerum geſtarum, imperii principum, variisqve negotiis forenſibus computandis, terminos inceptos pro completis numerare vulgo ſolebant), recte dici poteſt, qvod tres hiemes abfuerit. Et qvamvis, ut nihil diſſimulem, Codex Legum veteris Islandorum Reipublicæ *Grágás* ſ. *jus Ulfliotianum reformatum*, Tituli *de forma rei judiciariæ*, vulgo *Þingſkapa-Þáttr*, Cap. 34. ſanxerit: *relegatum, ſi ante tres hiemes rediret, exilii pleni poenam ſubire.* („Ef hann kömr fyrr vt higat enn hann hafi þrea vetor a brot veriþ. oc verþr hann ſcógarmaþr „); certum tamen haudqvaqvam eſt, annos completos hic intelligi. Contra vero, tam ex hoc ipſo legum Islandicarum Codice, qvam ex hiſtoricorum antiqvorum teſtimoniis alibi (*u*) à me productis, certiſſimum, relegationis ſ. exilii limitati vel temporarii, qvale iſtud Floſii fuit, apud Islandos modum, ubi transactione vel pacto conſtituebatur, maxima ex parte in arbitrio paciſcentium poſitum ſemper fuiſſe. Nec pactum, ex qvo Floſius Relegationem ſubiit, aliud ſvadere poteſt, utpote generaliter tantum *tres hiemes* (þriá vetr) memorans (*x*). Cum vero Romam præterea peteret, & abſolutionem ab ipſo Pontifice impetraret, qvod eum ipſe *Niálsſagæ* autor, transactionem cum Thorgeire Skorargeire deſcribens (*y*), non his pactis obſtrictum, ſed voto tantum ſpontaneo inductum feciſſe, clare ſatis

(*u*) ad *Joh. Arnæi* Indledning til den Islandſke Rettergang not. 233. pag. 626-27.
(*x*) *Niálsſ.* Cap. 146. pag. 251.
(*y*) Cap. 148. p. 256. cum p. 257. collat.

ſatis indicat, jure ſcribere potuiſſe videtur (z) eum, cum domum rediret, *omnia ſua pacta fideliter impleviſſe*, qvamvis tres integros annos peregre non egiſſet. Ignorare enim minime potuit, itineris Romani & abſolutionis pontificalis religionem, ex ſeculi XI[mi] inſtitutis, facile ſupplere potuiſſe, qvod tempori forte defuit.

Ita ne poſteriore qvidem computationis *Niálsſogæ* emendandæ remedio, qvamvis argumentis nuper memoratis á *Te Vir S. V.* ſuffulto, opus eſſe videtur; easqve ob rationes prædictam computationem, etſi dubia, qvæ contra eam moviſti, prævidens, ſine omni hæſitatione, eo lubentius retinui, cum ſatius ſemper duxerim, veteres, qvamdiu nihil abſurdi vel aperte falſi tradunt, preſſo pede ſeqvi, qvam aliqvid in eorum relationibus vel calculis ex ingenio mutare, ne, genuinæ antiqvitatis loco, mea commenta venderem. Et ſi vel maxime neceſſe eſſet, unum annum ad finem exilii Floſii addere, ut tres integri anni emergerent, nihilo tamen ſecius epocha legis de duellis abrogandis, incendiiqve Niáliani, ut & comitiorum poſt id proximorum, qvam collocavi, prorſus immota permanet, & *Niálsſagæ* autor, utpote ſine omni ambage ſtatuens, Ericum Comitem hiemem anni 1015. in Norvegia egiſſe, teſtis æqve idoneus nobis eſſe poterit, veterum Islandiæ hiſtoricorum qvosdam, ut alibi (a) pluribus adſtruxi, vere obſervaſſe, qvod prædictum regnum anno 1012. plene non reliqverit.

His ita peroratis, ad *mutationem*, ſ. verius *confuſionem nominum*, qvam *Gunnlaugsſagæ* autori (b) objicis, pervenimus. Hic autem, ut verum fatear, durius juſto cum eo agere mihi videris, dum eum (c) *haud apposite Thorfinnum de Raudamel*, *ut Thorſteino Egillidæ* prorſus æqvalem, & *multo ineptius* (d) *ipſum Thorgilſum Thorfinni filium*, *ut Gunnlaugo* & *Helgæ* ætate parem, *adducere* ſcribis. Neutrum enim ei unqvam in mentem venit. Nam priore loco (e) tantummodo indicat

(z) Cap. 159. p. 281.
(a) ad Gunnl. Ormſt. Vit. not. III p. 174.
(b) p. 364-65.
(c) p. 62.
(d) p. 74.
(e) p. 62.

dicat, Thorfinnum anno 1003. Raudameliæ habitaſſe, &, paucis interjectis (*f*), eodem cum Aunundo Moſfellenſi, Skaptio legifero, & Thorſteine Eigilli filio, tempore adhuc vixiſſe; Poſteriore vero (*g*) Thorfinni filios viros fuiſſe tam bene formatos, ut Gunnlaugo haud multo inferiores, vel, ſi virtutis, nobilitatis, & opum ratio haberetur (ætatis enim hic nulla mentio eſt), matrimonio cum Helga indigniores, cenſeri poſſent.

Prius qvod attinet, qvotidiana tam recentiorum qvam antiqviorum temporum experientia loqvitur, homines ſimul vivere, rebusqve gerendis idoneos eſſe poſſe, qvorum unus alterum 20, 30, imo 40 & pluribus annis ſuperat. Ita ego, etſi qvinqvageſimum ætatis annum agens, ſocios negotiorum in Collegio Camerali Regio qvotidie habeo viros, qvorum unus 30 circiter, alii viginti & pluribus annis me majores ſunt. Ita etiam *Tecum V. S. V.* dimidium fere ſeculi jam vixi, intereaqve 24 annos muneribus publicis vacavi; *Tu* tamen me plus viginti annis ſuperas, & utinam qvam diutiſſime, in Eccleſiæ reiqve literariæ emolumentum ſuperſis. Vere ergo dici poſſumus eodem tempore, vel ſimul vixiſſe, qvamvis *Tu* jam tum, anteqvam natus eram, rebus gerendis maturus eſſes. Eadem ratione, eodemqve ſenſu, (neqvaqvam vero ut perfectam ætatis æqvalitatem indicaret), autor noſter memorat, qvod Thorfinnus de Raudamelia eodem cum Thorſteine Egilli filio tempore vixerit. Idqve eum vere affirmare, eosqve una floruiſſe, præter multos alios ſeculi X^mi ſynchroniſmos, qvos ſingulatim recenſere tædioſum, firmo ſatis argumento ſunt eorum uxores, & Thorfinni qvidem, qvippe qvæ Oddi Tungenſis, Thorſteinis vero, qvæ Gunnaris Hliſæ filii filia erat. Iam Oddum ſimul cum Thorfinno floruiſſe, utriusqve genus & acta, & ſimul cum Gunnare & Thorſteine, lites à me deſcriptæ (*h*), qvas cum his habuit, liqvido monſtrant. Unde Thorfinnum etiam maximam vitæ partem cum Thorſteine communem habuiſſe facile apparet. Cum vero Thorfinni ex filio Thorgilſe nepos, Thorſteinn de Hafurs, fiar-

Auctoris ætas

(*f*) p. 64.
(*g*) p. 74.
(*h*) ad Gunnl. vitam Not. 17. p. 21. & Not. 53. p. 75-77.

fiardarey, jamtum 1008. magnæ esset auctoritatis & potentiæ, nepotes vero ex filia, fratres Thorbrandini de Karstadis, circa annum 980. rebus gerendis maturi essent, libenter qvidem concedo, Thorfinnum, (cui vitam bene longam contigisse omnia svadent), annis non ita paucis Thorsteine Egilli filio majorem fuisse. Verum cum aliunde (*i*) constet, filium Thorsteinis Skulium, jamtum anno 1000. virum fuisse perfectæ ætatis, ad prædictam ætatis Thorfinni & Thorsteinis differentiam supplendam, ne 20 qvidem annos reqviri manifestum est.

Posterius, nempe inæqvalitas ætatis filiorum Thorfinni, & Helgæ Thorsteinis filiæ, tanti neqvaqvam est, qvanti primo obtutu videtur. Ut enim verum est, Thorgilsis Thorfinni filii filium sororem Gunnlaugi Ormstungæ in matrimonio babuisse, Helgamqve Gunnlaugo, anno 988. nato, fere æqvalem fuisse (*k*); ita non video, qvid inepti, absurdi vel inauditi emersisset, si vel maxime unus vel alter fratrum Thorgilsis juniorum, qvippe qvos ætate haud parum inter se inæqvales fuisse, res ipsa loqvitur (nam præter sorores, septem numero erant), ipsam Helgam uxorem ambiisset. Nunqvam enim defuerunt, uti nec unqvam deerunt, exempla virorum, qvi uxores, 20 vel 30 annis (qvalis ætatis inæqvalitas hic plus satis sufficit) se juniores duxerunt & ducent. Sed hoc, qvicqvid est, controversiæ eo lubentius seponere possumus, cum *Gunnlaugssagæ* autor, ut ab initio monui, nec Helgam Thorfinni filiis ætate parem, nec de matrimonio ab ullo eorum cum ea ineundo actum fuisse asseruerit.

Qvod Sigurdum Comitem Cap. 8. pro Rognvalldo substituerit, certo affirmare haudqvaqvam possumus, cum plurimum absit, antiqvam Gothiæ historiam ita exactam & omnibus numeris absolutam ad nos pervenisse, ut nunc plene constet, nullum alium Comitem, præter Rögnvalldum, Gunnlaugi tempore in Gothia floruisse. Confidenter vero negare possumus, qvod Cap. 10. Canutum Magnum Daniæ Regem loco Sveinis substituerit, cum eos conceptis, ut ajunt, verbis distingvat (*l*), in eo tantum, ut ipse (*m*) observari repre-

(*i*) confr. Not. ad Gunnlaugi Vit. p. 12.
(*k*) Gunnlangi Vit. p. 52. (*l*) P. 120 - 23.
(*m*) Not. ad Gunnlaugi Vitam p. 121.

prehensione dignus, qvod, communi omnibus veteris Islandiæ historicis, etiam optimis, de Sveinis Regis obitu errore seductus, res qvasdam, sub Sveine gestas, ad Canuti tempora referat.

Eis qvæ ad *chronologiam Olavianam*, s. computationem annorum regiminis Olai Sancti Norvegiæ Regis illustrandam, sub finem eruditissimæ *Tuæ* Commentationis (*n*) attulisti, non est qvod immorer; præter illa duo, qvæ in *notis* ad *Gunnlaugi Vitam* (*o*) tetigi, veritatem nempe hujus chronologiæ, & genuinum carminis Sighvatiani de ea sensum; ad qvæ tamen paucis notasse sat esto.

1. Ut ipsis etiam *Olai Vitæ* verbis, à *Te* Vir S. V. alibi (*p*) allatis, inductus, non possum non in ea opinione adhuc persistere, qvod chronologia, qvam ejus autor huic suo operi substravit, mere *artificialis*, sive computandi arte confecta sit; ita certissime persvasus sum, *terminum* ejus, ut ajunt, *ad qvem*, sive illum ejus articulum, qvod Olaus nullo alio anno, qvam 1030., vita excesserit, qvi omnibus rite perpensis, principalis in ea est, qvatenus magna chronologiæ veteris tam Norvegicæ qvam Islandicæ pars ex eo pendet, omnino verum esse. Solus ergo, de qvo *Tibi* mecum disputatio intercedit, est *terminus à qvo*, s. annus, à qvo qvindecim illos annos, qvos Olaum regnasse in confesso est, rectissime ordiamur. Hoc autem intuitu.

2. Dum qværis: *qvid, si Olaus anno* 1015. *in Norvegiam venit, & anno* 1016. *regnum demum adeptus est, hoc vero* 1029. *amisit, faciendum sit Sighvato, qvi eum qvindecim plenas hiemes, anteqvam cecidit, ibi regnasse canit?* sine omni errandi metu respondeo: Computationem, qvæ Olaum anno 1029. regnum amisisse supponit, nihil contra *Sighvatum* valere, cum certissimi esse possimus, qvod is, utpote intimus Olai amicus, eiqve etiam mortuo, adeo deditus, ut in aula Sveinis Regis, etsi ab eo invitatus, vivere dedignaretur (*q*), Canutum pro injusto tantum, ut & re ipsa erat, regni Norvegici usurpatore, Olaum vero, qvoad vixit, pro vero Rege habuerit, atqve ideo imperii ejus annos

 (qvod

(*n*) H. E. T. IV. p. 365—68.
(*o*) P. 175. Not. iii.
(*p*) Hist. Eccl. T. I. p. 75.
(*q*) Conf. *Sturlæum* ed. Sv. T. II. p. 11—12.

(qvod ipſa etiam carminis ejus verba ſic ſatis innuunt) ad eum usqve diem anni 1030., qvo Stiklaſtadis cecidit, numeraverit. Eaqve numerandi ratione omni jure uti potuit, perſvaſus qvippe, Olaum non tantum animum, ſed ſpem etiam & conatum Norvegiæ recuperandæ ad extremum usqve vitæ retinuiſſe; & ſpem qvidem, cum Hakone Comite, cui hujus regni curam Canutus commiſerat, aqvis ſubmerſo, principe orbum eſſet, ipſeqve optimatum Norvegicorum qvosdam, maximi etiam nominis, ſecum ſemper habuiſſet, pluresqve Norvegorum, qvi in tumultu contra eum excitato qviete ſe continuerant eventum exſpectaturi, ſuis partibus, ſi regnum repeteret, acceſſuros, &, qvi defecerant, ad obſeqvium redituros, auguratus eſſet (*r*); conatum vero, cum in hoc ipſo Stiklaſtadis occubuiſſet. Hoc autem prælio ſi Olaus victor evaſiſſet, regnumqve recuperaſſet, annum, qvo profugus fuerat, eumqve ne integrum qvidem, ex numero annorum regiminis ejus neqvaqvam demi potuiſſe, *Sighvatus* facile vidit. Unde etiam ideo hunc ipſum annum, qvamvis Olaus prælio caderet, ex hoc numero demi non debere, recte omnino judicavit, cum Olaus tunc primum regnum cum vita penitus amitteret. Accedit (ut imperii Canutidarum in Norvegia odium, contra vero inſignem Olai Regis, brevi poſt mortem tempore in Divorum numerum recepti venerationem omittam) qvod Canutus nec in plenam unqvam Norvegiæ poſſeſſionem venerat, cum Olaus, toto etiam illo tempore, qvo in qvibusdam hujus regni partibus homagia ab incolis accepit, in parte orientali permaneret, manu ſatis valida ſtipatus. Nec Sveinis Canuti filii in Norvegiam imperium initium vere ſumpſerat priusqvam ab eo temporis articulo, qvo prælium Stiklaſtadenſe in Olai internecionem depugnatum eſt; qvippe qvo ipſo Sveinn, ut regnum patris juſſu capeſſeret, in Vikam primum appulit (*s*). Unde nihil magis naturale, qvam imperii Olaviani annos ad eum usqve terminum numerare, à qvo ſucceſſoris anni numerari cœperunt. Non ergo in annis regiminis Olai computandis mentitus eſt *Sighvatus*, ſed eos multo magis ex ſui temporis uſu ſenſuqve, ita, ut ajunt, de ſimplici & plano, computasſe cenſendus eſt, ut ad eum recte intelligendum ne minimo qvidem interpretandi artificio opus ſit. Qvod vero

(*r*) Confr. *Sturl.* T. I. p. 743—44. it. 746—47.
(*s*) vid. *Sturlæum* l. c. p. 812.

vero poſteriorum temporum hiſtorici, ex qvibus ipſe *Arius*, dimidio, reliqvi integro plus ſeculo *Sighvato* recentiores ſunt, ſuos calculos aliter inſtituerint, in cenſum venire haudqvaqvam poteſt; ubi tantum qværitur: qvid Sighvatus ſenſerit? vel ex modo computandi & loqvendi ſuo ævo familiari ſentire debuerit? in qvo is, utpote ipſis factis coævus, præ recentioribus, qvantæcunqve cetera auctoritatis ſint, fidem mereri videtur. His inductus rationibus, prædictum Sighvati calculum eum eſſe credidi, & adhuc credo, qvi ejus tempore apud Norvegos invaluit, eumqve ideo calculis autorum *Vitæ Olai* prætuli, & adhuc præfero. Præterea gravem contra hos ſuſpicionem movet, qvod ne verbo qvidem memorent, Olao, etſi eum jamtum anno 1014. in Norvegiam veniſſe ſtatuant, rem cum Erico Comite fuiſſe, cum tamen hiſtoriæ Dano-Anglicæ de Erico ſynchronismus, & teſtimonia, qvibus hic nititur, à me alibi (*t*) indicata ſvadeant, qvod hunc annum adhuc in Norvegia egerit. Ut autem erat ad res gerendas promtiſſimus, belloqve exercitatiſſimus, & Norvegis haud parum honoratus, nec per integrum fere annum otioſus ſpectaviſſet, Olaum majores indies vires ſumere, nec à Canuto ad expeditionis Britannicæ ſocietatem evocatus, facile paruiſſet, ſi hoſtem tam metuendum intra Regni ſibi ex parte commiſſi limites tunc habuiſſet. Cum vero in confeſſo ſit, qvod æſtate anni 1015. huic expeditioni interfuerit, inde eluceſcere videtur, Olaum eo tempore, qvo Ericus, hanc ſuſcepturus, Norvegiam reliqvit, (qvod demum poſt Sveinis Regis mortem, qvæ anno 1014. contigit, factum eſſe, omnia indicant) eo nondum veniſſe.

Hæc fuere *Vir S. V.* qvæ, eruditiſſima tua Commentatione monitus, præ ceteris paulo ulterius explicare neceſſarium duxi, ut plene conſtaret, qva ratione chronologiam *Vitæ Gunnlaugianæ*, & inprimis epocham legis de duellis judiciariis apud Islandos abrogandis conſtituerim; qvæ omnia & ſingula limatiſſimo *Tuo* judicio lubens ſubmitto, verbisqve claudo Pöetæ, qvæ humaniſſimo *Tuo*, ad litteras, qvibus meum de hac ipſa ſcriptione conſilium *Tibi* primum aperui, reſponſo ſubjunxiſti.

Non eadem ſentire alios de rebus eisdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Scripſi Havniæ
15 Kal. Aug. 1778.

Emen-

(*t*) Ad *Gunnl. Vit.* p. 121 & 174.

* * *

Emendanda in Gunnlaugi Vita.

Præfat. pag. XXVII. not. * lin. 13. loco verborum: *exemplum forte ſecutus Eyvindi Skalldaſpilleris:* legendum: qvam etiam deſcribendi rationem, ab antiqviſſimis inde temporibus per manus traditam, ſecutus eſt *Haukus Valdiſæ filius*, qvi Islandos &c. Is enim de Islandis panegyricus, vulgo *Islendinga-Drápa* ex cujus Stropha 2da qvæ ita incipit:

Hvals mun ek hvaſſa tælia
Hudlendinga budar

Islandorum appellatio, qvæ l. c. memoratur, deſumta eſt, non *Eyvindo*, ſed *Hauko* tribuitur in Codice Membraneo Bibliothecæ Magnæanæ No. 748. in 4to, qvi primam hujus panegyrici partem 26. integris ſtrophis, & initio vigeſimæ ſeptimæ, conſtantem, & 26. præcipuorum veteris Islandiæ optimatum & Athletarum elogium continentem, ab interitu ſervavit.

Pag. 275. lin. 1. 2. pro: *Oddus Erici* leg. *Ericus Oddi*.

Dni

DOMINI

GUNNARI PAULI F.

CURÆ POSTERIORES

IN

GUNNLAUGI VITAM

ad Seviros antiqvitatibus ſeptentrionalibus evulgandis conſtitutos transmiſſæ.

Ad Præfat. pag. IX. ad verba: *forte qvis verſiculos-chartis :* add. Nec deſunt hodieqve apud nos exempla, à viris fide dignis narrata; mihiqve per ætatem aliqvoties idem accidiſſe vere confirmare poſſum. Evigilans qvidem ejusmodi carmina memoria tenui, ſed & redormiens eadem illa facilitate amiſi. Unum hujusmodi per matutinam levemqve qvietem viſus & luſus exemplum hic narrare fas fuerit. Cum Vidvikæ Hialltdalenſium ante annos circiter 30 hoſpes pernoctarem, ſolusqve in cellula intra ædes, curarum expers dormirem, viſa mihi felis murem per ædiculam, & præſertim ejus abacos, perſeqvi; qvod vere qvidem dormiens vidi, ſed ita leviter dormieus, ut etiam dormire me ſentirem; de qvo non injucundo ſpectaculo mihi ſimul natus eſt verborum qvidam luſus, & ~~ma-xima~~ major -qvidem hujus pars per ſomnium, ſed adapertis ſimul oculis addita, qvæ deerat, clauſula. Sonat autem carmen ita:

mig fyrir dreimi
mús z kött
mikilliga ad
dreyma,
hvörnig var í bragdi brátt,
bádar litu út í gött.

Pag. 54. *barit* gull. aurum *malleatum.* Sed qvid ſi forte *barit. gull* aurum limatum, ſcobs auri, a *bar* grana minuta, ut *Drupnisbar*,

bar, *Fifubar* &c. Sæpe etiam dicitur: þó þat være *malit* gull, i. e. *qvamvis aurum eſſet comminutum.* Sed nihil definio; poteſt tamen etiam *malit gull* i. e. *aurum comminutum* reſpectum habere ad: *Fróda miöl*, ſ. farinam Frothonis, qvam appellationem præfatio carminis antiqvi *Grottoſaungur* auro apud poëtas hæſiſſe docet, ex qvo Frotho Daniæ Rex ancillas aurum ſibi molere juſſerat. Cum his porro conferri poteſt *Ismöl* i. e. glacies comminuta (qvibusdam *Ismiöll*), ita dicta, qvod ejus particulæ ſolido corpore lucidiores, & oculos magis ferire viſæ ſunt.

Pag. 66. Ad Stropham: Mörk baud ek &c.

In hujus Strophæ vero ſenſu pervidendo, oculos ante aliqvot annos mihi caligaſſe puto, niſi jam forte magis caligant; &, qvod adhuc minus vellem, me aliis, acutius alioqvin cernentibus, glaucoma qvoddam objeciſſe, qvominus ad veram poëtæ mentem eorum penetraret acumen. Mutanda autem hunc in modum nunc videtur ſententia: Ek baud mundángs mörk tanna-ſterkum manni (at) tyggiazt; góna ſkalltu (i. e. ſiádu) þat (Silfr) ſpyír nyá gráſena gló. allrádz muntu ydrazt, ef lætr (hana burt frá þer) lída, flóda or orum eydanda Siódi, (vorum nefnelega) linnz kindar ſamlaga (felaga ſc. Gunnlaugs Ormstungu) ut ſenſus ſit: *obtuli marcam ad ſacoma appenſam viro fortidenti mandendam.* (*Videbis*), *hoc* (argentum) *vomit novum griſeum ſplendorem.* *Serio te pænitebit*, *ſi* (tibi) *elabi ſinas effluentem ex noſtro expenſam faciente theſauro*, (noſtro inqvam ſive mei) *ſerpentini generis ſocii.* *Tannaſterkr* dentes fortis, appoſite dici poteſt, ut *efna*-vel *peninga-ſterkr* i. e. *dives opum vel facultatum*, hára-döckr *crines fuſcus*, hiua-margr *numeroſam familiam habens*, innvida-veikr *interiora infirmus*, & ſimilia. Poteſt tamen etiam τὸ *tanna* ſumi pro infinitivo verbi: *at tanna* i. e. mandere, & cum τῷ *tygiazt*, qvod tum eſſet ſuperlativus adverbialis, conjungi, qvo ſeqvens ordo ſenſusqve emergeret: ek baud ſterkum manni mund. mörk.

mörk. (at) tanna tygiazt. *obtuli marcam* &c. *forti viro qvam mandentissime mandendam.* (at tana [illegible] allra [illegible])

In posteriori Strophæ parte *Orum* pro *ydrum* substitui, satis forte audacter, sed digne tanto Poëta, & ejus ingenio convenienter confr. pag. 44 & 92, qvi se haud dubie hic ut alias, ex. gr. p. 70. 74. 82. 110 & 114. jactans, hero bene consulit, ne cum potentiore litiget, perinde ac de mercede lupus gruem monet in fabula. Hoc autem sensu *flóda* cum τω *maurk* cohæret, estqve accusat. f. gen. participii, à nominativo *flód* v. *flóin*, verbi: *ek flói* effluo ebullio. *Eydanda* vero est ablativus mascul. gen. participii *eydandi* (confr. Ind. *Gunnlaugs-Sagæ* in voce *Eyde*), qvod tam per participium in NS (consumens) qvam per particip. in Dus (consumendus) reddi potest; in qvibus etiam mira linguarum convenientia. *Samlagar* (confr. Ind. h. v.) malim *Samlaga*, nisi qvis genitivum malit anomalum, vel etiam forte *linnsfamligrar kindar* serpentis instar animati filii seu hominis; ita *linnsfamligr* eodem modo formaretur ac *undrsamligr* miraculo similis, *giptusamligr* fortunam vultu præferens, & plura ejusdem farinæ.

Si lectio *ydrum* in posteriore hac parte retineatur, sensus etiam hoc modo sibi constare poterit: allradz muntu |ydrazt ef lætr (mörkena) linns Samlaga kindar (eign) flóda (þer til handa) lída or ydrum eydanda (eydanligum) Siódi i. e. *toto animo te pœnitebit*, *si permittis* (marcam) *serpentini generis socii*, (tibi) *affluentem*, *elabi ex vestro thesauro*, *qvippe per hoc facile consumendo*; nisi forte magis arrideat: *eydanda linns samlaga kindar* conjungere, atqve ita interpretari: *marcam expensam facientis serpentini generis socii* s. Gunlaugi Ormstungæ *tibi affluentem*; tum vero *eydanda* erit genit. sing. τω *samlaga* respondens. l. p expensas, expensis obnoxio.

Pag. 126. & in Ind. v. *Se. Siámzt* æqvipollet τω *ek ſezt um*, idem qvod *litaz um*, circumſpicio. contra *ek ſezt fyrir* proſpicio, vel, qvæ ante faciem ſunt, ſpecto. ðu ſ'm', adgæti ſ'm ſ' mig. mihi provideo.

Pag. 128. *Hádvarr* à ludibriis alienus vel ſibi cavens, optime qvidem, ut communiſſime τὸ *varr* in compoſitis: *grandvar*, a malo cavens, vel attentus, *nótvar* rete cavens, à phocis ductum, & *bogavar* decipulam cavens, à vulpeculis ductum, annoſa enim vulpes non facile capitur laqveo. Sed qvid ſi forte *hávarr*, qvod ſua cogitata fidenter, & elata altius voce, minusque decenter aut modeſte proferentem notat? Sic certe *hávarr* vulgo dicitur homo immodeſtus, atqve indecentius garrulus, juſtoqve vocalior, forte à *Varar* ſermones amatorum, qvos clanculum aut certe ſubmiſſe haberi conveniens viſum, contrarium vero ab ejuſmodi negotio magis alienum. Hic autem Rafn à Gunnlaugo, utpote hoſte, & cetera poëta haud parum mordace *hávarr* qvaſi procax, petulans, præfidens, dici potuit.

Ibid. *Hridmundadar* vel *hridmundadr*. Facile hic acqvieſcendum iis qvæ habet pag. 129. unacum *Indice*, in hac voce, nec plura aut nova adferre libet lectiones ſollicitando. Id tantum forte non abs re fuerit, τὸ *mundadr* conferre cum *Niáls-Sagæ* pag. 78. at *munda atgeirnum* i. e. cunctanter & magna cum circumſpectione, libripendis inſtar, vibrare, qvaſi *mundángshóf* i. e. medium ſeu metam qværendo. Vulgo dicitur: *at mynda ſig vid þad edr þad* i. e. tarde & cunctanter accingere ſe vel aggredi, unde ductum ludibriolum, nec tamen recens, puer audivi. Verbum autem *at munda* non multum abludit à Græco, μανθανω & μαθεω; diſcimus enim dum rem cogitando verſamus & ponderamus, donec ad verum pervenimus. Ad voces *mundadr* & *munda* porro pertinent *mundangr* examen libræ (vid. Ind. *Gunnlaugs-Sagæ* in h. v.), nec non *midmunda* trium primarum

rum poſt meridiem horarum medium, & *namunda* proximitas, qvæ omnia, ut & *medalhóf*, medium ſive rectum, ad modum & rationem librandi ſpectant, uti alio ſenſu, ſed eodem intuitu, duo *hóf* ſ. media vel puncta, metæ ſ. recto propinqva, vulgi ſermone ſatis trita ſunt, qvorum neutrum ſtultum unqvam aſſeqvi ajunt, utpote in extremis, exceſſu ſcilicet vel defectu, ſemper verſantem. Huc & referri poteſt *konu mundr* dos appenſa, ex qvo forte latinorum *mundus muliebris;* ſua enim ornamenta iis data. Ita etiam idem anni vel diei punctum iterum recurrens, *i ſama mund*, appellatur, unde porro latius adhuc & generatim: *i þat mund*, et *i þær munder*, eodem ſenſu dicitur ac: *eo tempore.* Cetera mihi à probabilitate recedere non videtur veteres *mundáng* dixiſſe qvaſi *mund-háng* i. e. *manu appenſum*, à more manu, inprimis utraqve ſimul, pondera rerum explorandi, qvo piſcatores aliosqve dextre adeo & accurate uti haud raro vidi, ut pondus ad examen revocatum parum vel nihil à vero aberraſſe repertum ſit; qvæ ponderandi ratio, ut ab ultima inde antiqvitate longe ante libras & alias ponderandi machinas inventas uſu venit, ita vox eam ſignificans ad has traducta eſſe videtur. *Pendo, pendeo, pondus, pondo* ejuſdem organi literas cum *τω mund* habent; & *manus* à *manando* Latinis ducitur; imo ni fallor nihil aliud eſt qvam ipſum *mund*, qvemadmodum Græcum *χειρ* non omnino diſſimile eſt ſeptentrionali *Hreifi.* *Mundus* etiam ſuum nomen hinc habere facile poteſt, qvaſi pendulum qvid; veteribus enim globi noſtri conſtitutio ignota non fuit.

forte et mund-fáng, ut ſandfáng palmi, menſura †

Ibid. Poſterioris ejuſdem Strophæ partis ordo & ſenſus: p. 129. *luſimus enim variis mutuo miſſis reculis aureis circa illam ſerp. er. terram* &c. non admodum coactè procedunt, niſi qvod *ymſar andſiur* proprie mutuum luſum ſpectari ſvadent, qvarum etiam communis uſus hic ſpectari poteſt, qvamvis ſolius Gunnlaugi actio vel luſus narretur. Qvando dicitur: *eg leik mer ad þvi edr þvi* i. e. *hac vel*

† extruſa litera f, qvemadm. v in vocabulis Harpangr et Hardangr, voce Wangr locum ſignificante.

vel illa re ludo ſpectatur objectum luſus, non mutuo agens. Sed: *ver lekum oſs* i.e. *luſimus*, mutuum eſt vel commune, libero alioqvin manente numeri ſingularis pro plurali uſu. Peculiaris præterea eſt uſus verbi *ek leik* in luſu aleæ, latrunculorum &c. de promotione orbiculi vel militis, ut ſenſus eſſe poſſit: *ver lekum andſium at þvi landi:* promovimus nunc iſtum nunc alium orbiculum vel militem adverſus eam puellam, vel verſus illud alvei latus, cui illa aſſedit.

Pag. ~~165~~ 130 & Ind. v. *ydögg*. Hugdunzt Orms at armi Y-döggvar þer höggvinn &c. *Orms-yr*, arcus ſerpentinus cum ſagitta poteſt eſſe lingva ſerpentis, ut ſenſus ſit: *cum in tuo amplexu dormirem, videbar mihi à Gunnlaugo Vermilingue vel ſerpente vulnerari*, qvam explicationem reſponſum Helgæ hoc loco ſatis confirmat. *Orms-yr* lingua ſerpentina jaculatrix, qvemadmodum Græcè *ἰος* jam ſagittam, jam venenum ſignat. In poſteriori hujus Strophæ parte qvorundam MSStorum (ſi recte memini) varians lectio: *va* pro *þat* etiam qvà ſenſum convenit. Hic etiam *hagþyrnis undir* conjungi poſſunt, & per *vulnera ſerpentina* explicari, perinde ac *Virgilius vulnus Ulyſſi* dixit, ab Ulyſſe inflictum; ita integra appellatio fœminæ hoc loco erit *lauka lind*, vid. Indic. ad Gunnlaugi Vitam v. *laukr*.

Item sagþyrnis a, malū improvisū à serpente illatū: nec non sagþyrnir laka lind, mulier commoda (ab sagr et þörf) l. sagþyrnnis (in idem) Et adhuc. lík va gætr ~~[illegible]~~ laka lind, similis casus eam manet l. apprehendet. vel lika va gætr, simile nanciscetur malū foemina

Pag. 138. var. lect. t *hafdizt ecki at* otioſus reſidebat. Huc ſpectant: *Athöfn* actio; *athæſi* vivendi ratio. *Eg heſi at mer færi* (verbum nauticum) funem piſcatorium ad me attraho. *Eg heſi ad mer* cibum ori ingero (avidius fere) confr. Jobi XV, 16. & XXXIV, 7. *Ad athafna ſig* (verbum vulgare) ad opus aliqvod ſe accingere: ut et. *at hafaz at*, *háfa ad ſer*, ut *bidiaz*, *mæ laz fyrir* &c. qvod per ſynecdochen latius extenditur. Uſurpatur etiam *ad athafna* & *athöfn* qvibuſdam (ſpeciatim orientalibus) ſenſu venereo; & novi juvenis ſenem borealem, qvi *athæſi* de membro virili uſurpavit, inſolito ſuis modo, ſed tamen haud dubie per ætatem omnis orientalis commercii expers.

Pag.

Pag. 160. loco: *ſvánmærrar* nunc arridet var. lectio e, *mektar*, ut inde fiat *ſvan-mekktrar*, a *makki*, qvod cervicem eqvinam notat ſ. ejus ſummitatem, non infimum hujus animalis ornamentum Job. XXXIX. 22. *ſtockmekktr* heſtr dicitur cui pingvedine turget cervix ſuprema. Laudatur ergo hic collum mulieris, olorini inſtar candidum atqve erectum.

Pag. 184. & in Ind. v. *bræſkiærr*. De piſciculis dicitur *ein-tvi-þri-ſkiærr* (í bak) paſſive, pro fruſtulorum numero in qvæ à tergo diſſcindi poſſunt. Sed multa adjectiva utroqve modo dicuntur, ut: *fær*, *bær*, *bættr*, *tækr* &c. cum compoſitis. *Hráſkiærr*, crudivorus, gratius ſonaret, ſed & *bræſkiærr*, qvod optimi Codices habent, reprehenſione carere poteſt.

Pag. 186-87. Ordo poſterioris hujus carminis partis ſatis qvidem bene ſe habet; ſed nec forte minus bene hoc modo: „ſárſkinn gammr hlaut enn þramma á ſárra ſár" i. e. *vulnerum appetenti vulturi contigit adhuc vulneratorum* (cæſorum) *vulnera calcare.*

Pag. 192. Placet jam rhythmus ejusqve ſenſus hoc modo: „ek hugda mer armgóda líns tródu minna at Orms armi" i. e. *putavi mulierem, mihi minus faventem, recordatam brachii ſerpentis* i. e. Gunnlaugi. *Armgód* alias pulchre brachiata, vel brachio fovens atqve amplectens, ab *armr* brachium; ſed hic eſſet, brachii invidens, parum favens aut commoda (eum enim multum non amavit p. 191.) ab *armr* miſer, infelix, ut Germ. *Armſelig.* Huc & ſpectat lectio a, leidrar (minus recte ſcribitur leydrar) tædio adfectæ & pariter tædium creantis: *Eg verd leidr á þvi* tædet me. *Liufr verdr leidr* i.e. fit dilectus tædioſus ſ. ingratus. *Tædium* lat. ejuſdem originis, & *tædet* leidiz.

Forsitan et sic: Eg hugda mer armgóda tródu (absol. [illegible]) miña ad ormr armi ([illegible] andada v.z andvana ormr) Gud bra (sva [illegible]) [illegible] lifi, [illegible] skyrkiunar sion v.z skodan.
Vel etiam: Eg hugda mer armgoda tródu miña at ormr armi. [illegible] (ormr, Gunnlaugs) giof (skyrkn) bra liofr lifi
Talem sensum cum assonantia metrica felicem poëtam (pag. præced.) qvam optime decere existimo; nisi forte qs ma[…] gud bra liufrar lifi, sc. pulchritudinis respectu amabilis: et li[…] andvana, vel mortui serpentis (recordari) vel eo destituta ej[…]
Tanta hic se offert varietatis copia atq incertitudo: et d[…] leidrar factu ex [illegible], laudatæ, l. [illegible], humatæ, […]